



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Appendix Unius Necessarii, Summatim recolligens - firmissime
constabiliens, explicatam in toto illo opere in deo vivendi rationem.
Copioso totius operis, & memorabilium in eo rerum indice ad calcem
adjecto ; Italice primo vulgatum [et] Latine nunc redditum

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Præfatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54520](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54520)



Præfatio.

MAjoris emolumentum tui studium cogit me, amice lector, calamum in manus resumere, quodque ad calcem jam perduxisse mihi opus videbar, ulterius producere. Legeris fortè tres hujus operis partes, nonnullis retro annis in lucem à me editas: ubi non aliud suadetur Lectoribus, nisi ut DEO sese totos devoveant, uni illi vivant, perfectique amoris vi unum quid cum eo fiant. Quanti ad commune bonum præsidii argumentum id censeo: tam enixè opto, nè quid illi, ad plenam obtinendi sui finis efficacitatem, ex parte mea desit. Jam verò illud animo perlustranti duo sese obtulerunt, quæ majoris utilitatis gratiâ videbantur etiamnum desiderari in eo posse: quæque non permiserunt quieto mihi esse, quoad ei fuissent adjuncta.

Nam primò, quamvis minimè omiserim, perfectam uni DEO vivendi rationem enucleatè, & secundùm omnes suas partes describere; illa tamen ejus descriptio, cum & latè admodum pateat: & variis subinde

tum ad fidem faciendam, tum ad clariorem notitiam habendam, disputationibus, doctrinisque intercidatur; non tam facile tota uno obtutu lustrari, & præsens haberi ob oculos potest, à volentibus in se illam exprimere; quàm si brevior in summam redacta, & ab additamentis illis sejuncta Lectoribus proponatur.

Adde huc, quòd illud idem uni DEO vivendi institutum neque exiguis difficultatibus, impedimentisque oppugnetur, nec minus exiguo instrumentorũ, & præsidiorũ apparatu indiget, ut quæcunque inter obstacula firmitatem suam retinens, continuo, & æquabili tenore urgeatur. Ex quibus tum impedimentis, tum præsidiis licet pleraque in decursu operis, prout locus poscebat, explicata à nobis jam sint; dubitari tamen non potest, quin peculiaris, planiorque, & tota eodem loci collecta eorum tractatio magno usui divinæ illius vitæ sectatoribus foret, ut, quantò melius edocti de iis, quæ vel adversa, vel opportuna fini suo sunt, tantò perfectius, & majori cum facilitate hunc obtinerent.

Hæc itaque argumenti à me suscepti compendiosior descriptio, & hæc rerum, eidem tum obstantium, tum faventium specialior tractatio residuum illud est, quod in meo illo Unius Necessarii opere visum est
ad

ad solidum utilitatis suæ complementum de-
esse. Idque per hanc illius Appendicem
nunc ei superaddere aggrediar: repræsen-
tans primò, quàm brevissimè, exactissimè-
que fieri poterit, quænam sive interior, si-
ve exterior vivendi ratio propria hominis sit,
qui totus DEI esse, illiúsque voluntatem, &
amorem pro unica suorum motuum regula
habere decrevit, ac eundem contra cælestis
illius vitæ obices, atque remoras solerti cau-
tione præmuniens, postremò ea illi admini-
cula suggeram, sinè quibus nullo modo pos-
set tam sublime, arduúmque propositum
constanti vigore animi per omnem vitam te-
nere.

Unde colligi potest, breve hoc, & sim-
plex auctarium, si secundum practicam vim,
utilitatémque æstimetur, universo operi æqui-
valere, imò aliqua etiam ex parte, & complu-
rium Lectorum respectu antecellere; cum le-
ctissimam perfectionis ibi traditæ summam, &
quasi medullam contineat: nihil aut ex ea o-
mittens, nisi quod minùs est necessarium: aut
illi adjiciens, nisi quod fructuosior eam
reddit. Et quamvis plus præsidii collaturum
ad eorum institutionem, & profectum videat-
ur, qui in opere ipso illius fundamenta, ra-
tionéique, & uberiores declarationem antea
perlegerint; existimo nihilominus, fatìs pos-
se etiam eo destitutis subsidio per se unū prod-
ef-

esse : dummodo hi saltè aliunde , hoc est ,
plùs quàm mediocri spiritualis vitæ usu , altâ-
que DEI existimatione , & ardenti amore præ-
parati , ad illius lectionem accedant . Imò
nullus dubito , quin Lectorum quàm plurimis ,
ad metaphysicam veri perquisitionem naturâ ,
studióque minùs factis , delectabilius futurum
sit , atque utilius , nudam , patentémque ocu-
lis perfectæ cum DEO conjunctionis praxim
paucis hisce in foliis citra ambages nancisci ,
quàm variè dispersam flexuoso longarum dif-
fertationum itinere in iis voluminibus quæ-
rere .

Æquo igitur , libentique animo , Lector
mi , accipe novum hunc , utilitatis tuæ gratiâ
à me susceptum laborem : & si ex eo aliquid
fructûs percipies : supremû boni omnis Lar-
gitorem Deum ora , ut me quoque illius fieri
participem velit : nè alioqui pergam esse Cam-
pano æri similes , quod ad sacras ædes popu-
lum evocans , ipsum semper foris remanet :
aut instar Hermarû in triviis , qui nunquã non
imoti , quâ eundum sit , aliis indignant ; sed eam
potiùs capeffens , quam hic tibi designo , per-
fectæ charitatis semitam , uni DEO vivam ,
unus cum DEO spiritus sim.

I N.